Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 959
Quelle:
Copyright:

230 — 234. 239. 242. 245. 246. 248. 251 — 257. 259. 260. 264. 268. 273. 277. 278. 282—284. Quae *Capitula*, cum plerumque et admodum brevia ſint, et in Codicibus a *Mauria-nis* adhibitis pariter deficiant, ſuſpicari quis poſſit, ea ſucceſſu temporis *Paterio* ſubpoſita fuiſſe. C. praeterea LIX. nobis XXXIX. item CXLII. nobis CII. et CCVIII. nobis CXLIV. in impreſſis prolixiora ſunt; ut frequentem Lectionis diverſitatem taceam.

A *Fol.* 174. p. 2. *Incipiunt Prouerbia Salomonis.* Hic vero nulli jam nobis *Capitulorum* adpoſiti ſunt numeri. *Mauriani* XXXVII. cenſent. C. III. nobis in duo ſectum; XXI. vero et XXII. in unum coaluere. C. XXVII. in impreſſis longius procurrit. C. autem XXXV. et XXXVII. in noſtro.

A *Fol.* demum 182. *Incipiunt teſtimonia de Canticis Canticorum.* XLIX. *Capitula* numerant *Mauriani.* C. I. nobis brevius IV. vero deeſt, uti et XIV. et XVI. XXIII. nobis prolixius, et multo magis XXXI. C. XXXII. totum abludit ab impreſſis; ita et XXXV. Poſt quod aliud noſter exhibet *Capitulum*, quod ab impreſſis abeſt, ſed ſententias C. XVI. refert. C. XXXVI. nobis paucis conſtat lineis, Sequens vero impreſſis longius eſt, uti et XXXVIII.

CCLXVIII. VII. F. 26.

454 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 75. 4. nitide perſcriptus, rubricisque enotatus Iconismum praefert linearem *Gregorii M.* ſedentis et adſtanti *Auguſtino* monacho, poſt Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, pedum paſtorale tendentis; complectitur vero *Iſidori Hiſpalen. Commentaria in V. T.* quorum inſcriptio: *Exameron Yſidori.* Prologus incipit: *Hyſtoria ſacrę legis non ſine aliqua prenunciatione futurorum* &c. Ordo Librorum praepoſterus eſt; hoc enim proceditur modo: *Geneſis, Leviticus, Deuteronomium, Joſue, Judices, Ruth, Exodus, Numeri*, atque hic abſecta ſunt IV. ultima *Capita*, quae in Edit. *du Breulii Pariſ.* 1601. p. 482. leguntur. Jam vero *Codex* noſter Editione hac longe plenior, ideoque magni momenti eſt, maxime, quod ad Libros priores, *Geneſin, Exodum* &c. adtinet. Id, ut quodam declarem ſpecimine, Principium Exempli noſtri adſcribam. *Breſith. i. Geneſis. In Principio Creauit deus celum et terram. Hoc duobus modis accipitur. ſiue in primo omnium. ſiue in filio per quem facta ſunt omnia. Celi autem nomine angelica creatura. terrę autem informem inſinuat materiem. ex qua uniuerſa moles huius mundi formata eſt. ut alias ſcriptum eſt. Hęc ita eſſe per hoc intellegitur. quia hoc corporeum celum quod firmamentum uocatur ſecunda die poſt conditionem lucis creatum eſt. et hęc terra tunc formam accepit. quando ab aquis diſtincta eſt. Ipſe quoque aquę tunc ſpeciem ſumpſerunt. quando in unum*

ſub